Hunterian Add. 18

DE GRAVIDARVM AFFECTIONIBVS EARVMQVE CVRA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

PRO

GRADV DOCTORIS

DEFENDET

CHRISTIANVS AVGVSTVS PESCHEK

ZITTAVIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE A. D. XVI. APRIL. MDCCLXXXIV.

LITERIS WALTHERIANIS.

MAGNIFICO

ATQVE

AMPLISSIMO

SENATVI

CIVITATIS

ZITTAVIENSIS

SACRVM.

VIRI MAGNIFICI,

EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI.

PATRONI OPTIMI.

Nolite in malam vertere partem, me academicis ſtudiis tractatis, libellum huncce, quem recipiendorum honorum doctoralium cauſa

ſcri-

ſcribere opportunitas ſuadebat, VOBIS conſecraſſe. Vos enim benignitate VESTRA, qua et me ornaſtis, et Cariſſimum Patrem meum, meosque fratres excepiſtis, meam meruiſtis pietatem. Noui quidem, labores meos neque dicendi generis elegantia, neque rerum tractatarum concinnitate, VESTRO plauſu dignos poſſe videri; dictorum tamen ignoſcetis leuitatem, ſi primitias auctoris, in dicendo minus exercitati, eſſe cogitaveritis. Accipiatis ergo opuſculum hoc benignitate ea, quam ſaepius mihi probaſtis, et pietatem meam erga Vos inde cognoſcite; quam non hocce ſolum VOBIS declaratu-

rus

rus ſum teſtimonio, ſed perpetua quoque ac perenni et obſeruantia et commodis Vestris inſeruiendi cupiditate. Eundem itaque poſt reditum meum ad Vos, in medica arte exercenda feruorem eandemque adhibebo aſſiduitatem, quam Cariſſimus Pater meus fraterque natu maior, religionis morumue puritatem docendo, fraterque alter ſuppreſſorum iuribus tuendo, Vobis hactenus probare ſtuduerunt. Et ſi eundem Vestrvm aſſenſum mihi non denegaueritis, Vobis ſanctiſſime polliceor, me Vestram Vestrarvmue Splendidiſſimarum Familiarum incolumitatem nunquam non et maxi-

me

me optaturum, et ardentiſſimis precibus a Deo efflagitaturum eſſe. Valete! Sum

TANTORVM NOMINVM VESTRORVM

DAB. LIPSIAE PRID. ID. APRIL.
MDCCLXXXIV.

ADDICTISSIMVS CVLTOR
CHRISTIANVS AVGVSTVS PESCHEK.

DE

DE
GRAVIDARUM
AFFECTIONIBVS
EARVMQVE CURA.

Prooemium.

Quae ſolemnis eſſe ſolet difficultatis, in argumenti alicuius pertractandi ſelectu obuenientis, excuſatio eorum, qui aliquod qualiscunque doctrinae ſuae ſpecimen publico eruditorum examini ſubiicere tenentur, eam ego quoque nolo accipere, cum nimis frequenti vſu ſoleat eſſe obſoleta, nec vi amplius excuſationis pollere. Quod vero arduam gravemque graviditatis, et in ea neceſſario habendae mulierculârum curae aggreſſus ſim doctrinam, id magis excuſari debere videtur. At vero, non in animum induxi, omnem omnino morborum cateruam perſequi, qui vtero gerentibus infeſti ſunt, nec omnia ea exhauriam, quae Clinice de illis obſeruanda praecipit, quippe quae, ſi recte et ex aſſe exponenda eſſent, ſpiſſum magis volumen efficerent, nec commode academici ſpeciminis limitibus coercerentur.

Grauiditatis natura.

Priusquam vero longius progrediar, grauiditatis natura dilucidanda venit, ſine cuius notione de eius affectionibus recte dici plane nequit. Feminam igitur grauidam dicimus, quae, poſt foecundum coitum, homunculum vtero concepit, inque eo fovet at-

que nutrit. Haec grauiditas *vera*, et quae naturam ſequitur, a *praeternaturali* nec non *notha*, quarum vtraque naturae legibus omnino contraria eſt, bene diſtinguenda erit. *Praeternaturalis* ſcilicet tunc accidit, cum foetus, non in vterum ſed in alium locum receptus, ad matris vt plurimum perniciem creſcit. Ad haec quidem loca pertinent ouaria, tubae Fallopii, infimi denique ventris cauum, quae omnia ſaepius foetum recipiunt. Grauiditas *notha* autem vtero quidem propria eſt, at vero duplici modo a *vera* differt. Partim enim impraegnatum et in vterum delatum ouulum quidem creſcit, ita tamen, ut membra foetus non formentur et euoluantur, ſed informis aliqua generetur maſſa, quae *mola* appellatur: partim etiam aere, aqua, polypis *), ouariorum ſcirrhis, hydrope ſaccato, aliisque affectibus vterus ſolet, aeque ac ſi gravidus eſſet, ſenſim ſenſimque diduci, abdomenque eleuari. *Complicatam* denique, quae aliis et *mixta* audit, grauiditatem dicimus eam, qua vno eodemque tempore embryo atque mola materno fouentur vtero. De formatione vero foetus ipſa, cum adeo abſcondita atque mirabilis deprehendatur, variaeque de hac re, magis minusue probabiles prolatae ſint ſententiae, quorum enumeratio ac diiudicatio proprie huc non pertinent, praeſtat nihil quam aliquid dicere.

Signa Grauiditatis.

Quanta vero cum difficultate grauiditatis ſigna eruantur, quilibet ſcit, qui artem obſtetriciam exercet, idque ante aliquot annos Exp. Rockstroh **) ſingulari tractatione egregie probauit. Fraudes enim meretricularum, ignominiam ſuam velantium, mulierum, prolem expectantium vana ſpes, morbi denique varii generis medico ſaepius imponunt, vt alio morbo laborantes feminas gravidas exiſtimet. Sed ſunt tamen ſigna, quae vel feminae, iam partum ali-

*) Olim ſaepius pro molis habiti ſunt, vnde anicularum eius temporis fabulae de animalibus monſtrisque partu enixis natae eſſe videntur. Kerckringivs eiusmodi commenta irridet in *Spicil. anatom.* p 89.

**) Vid. Diſput. eius de ſignis verae grauiditatis ſaepe dubiis. Lipſiae 1781.

aliquoties enixae, notae ſunt, vel medico eandem mulierem per aliquot annos curanti obueniunt, vnde certus ſcire poteſt, mulierem prole eſſe foecundam. In vniuerſum vero ſignorum, quae feminam vere gravidam eſſe plerumque indicant, in certa inque ambigua ſemper placuit diuiſio. Referuntur autem ad ambigua vel incerta fluxus menſtrui defectus, abdominis incrementum et extenſio, nauſea, et cibi alicuius, vel plurium auerſatio, vomitus, mammarum tumescentia, viri faſtidium, dentium auriumque dolor, oculorum debilitas, ſaliuae largior ſecretio, corporis laſſitudo. Quae quidem ſigna, etiamſi ſingula per ſe nihil probent, tamen cum omnia vel plurima ſaltem adſunt, grauiditatis ſuſpicionem excitant haudquaquam inanem. Ad certiora ſigna inprimis catameniorum ſuppreſſionem referunt medici et potiſſimum tunc, cum femina nunquam antea eius fluxus vitio laboravit, quo nunc absque grauioribus moleſtiis omni priuatur. Incrementum vteri, certis interuallis ac ſecundum ſtadia grauiditatis nunc hypogaſtricam, nunc vmbilicalem, nunc epigaſtricam ventris regionem extendens, equidem ſignum non adeo certum exiſtimo; nam non in omnibus grauidis, praeſertim abdomen pendulum gerentibus, vno eodemque modo creſcit ouulum: deinde hydrops vteri, polypiue ſimilem interdum ſcenam ludunt. Foetus ipſe praeſentiam motu annunciare dicitur ſuam, id quod plerumque ſub finem quinti menſis fieri ſolet. Neque tamen exempla deſunt, quibus et huius ſigni fallacia probari poteſt, nec medicus, quamuis attentus, ſine multo vſu ſibi ab hac errandi procliuitate ſemper cauebit, ac per abdomen aquasue motum infantis diſtinguet ab illa elaſtica et vaga extenſione ventris, a flatibus aliisue cauſis internis producta. Digitus ſolus, in vaginam ad vteri orificium vsque immiſſus, ibi inveniet mutationes, quae, longa experientia teſte, tempore graviditatis in vteri orificio cum aliqua conſtantia deprehenduntur. Illud enim in virginibus et feminis non impraegnatis magis verſus ſuperiora retractum eſt, caeteroquin durum, laeue, rimula tenerrima praeditum, atque longitudine craſſitieque primam digiti minimi phalangam fere attingens. Poſt coitum vero foecundum plane clauditur, fitque breuius, mollius, et magis mucronatum. Omnes

iſtae mutationes, cuilibet grauiditatis tempori accommodatae ac propriae (quo magis enim partus appropinquat, eo magis immutatur orificium vteri, maiorique patet hiatu,) a Levreto, Steinioque egregie deſcriptae ſunt, vt nihil habeam, quod iſtis addere poſſim. Hoc ſignum inter praecipua ponendum primo loco eſt, quod ſi falleret, nullum omnino haberemus, quo ambiguitas in hac re tolli queat. Quae cum ita ſint, patere arbitramur, ſummam cautionem medico adhibendam eſſe, ne, vbi eius aut in foro aut alibi de conditione feminae cuiusdam, an grauida ſit, nec ne? requiratur ſententia, iudicio hac de re ferendo a vero aberret, aliisque deridendum ſeſe propinet.

Gravidarum Diaeta.

Ex iis vero, quae modo inter ſigna grauiditatis allata ſunt, incommodis facile intelligitur, quibus quantisque malis matres geſtationis tempore vexentur; quapropter vt valetudinariae conſiderandae ſunt, hincque propriam attentionem per totum geſtationis tempus merentur, immo poſcunt. Cum autem apto regimine vitaeque ratione prudenter inſtituta multa incommoda euitari poſſe conſtet, etiam inde grauidas varia ſanitatis emendandae praeſidia petere poſſe, quilibet facile concedet. Quid, quod non natura tantum eas ad diaetam recte ordinandam invitat, ſed ipſa religio, quippe quae eas non ſolum propriam ſanitatem et vitam tueri, ſed etiam de nouo, in vtero contento, homine diligenter ſollicitas eſſe iubet; qua duplici cura matris officium ſanctius redditur grauiusque. Praecipue vero ineunte geſtationis tempore, vbi tenellum ouulum ſubtiliſſimis filamentis adhuc cum vtero cohaeret, ſumma diaetae obſeruatione opus eſt. Nam eo illud tempore vel a leviſſimo animi pathemate, vel paulo vehementiori corporis motu ſiue concuſſione, facile abrumpitur. Haec ea de cauſa diximus, ne in ſequenti tractatione hanc obſeruationem ſemper repetere cogamur. Caveat denique ſibi grauida, ne temeritatis levitatisque rea fiat, qua permultae mulieres et ſibi et ſuae proli irreparabilia pariunt damna.

Sed

Sed procedo ad magis propriam disquiſitionem regiminis, quod feminae impraegnatae commendandum erit.

Aer. Neminem fugit, quantum aeris ſalubritas ad noſtram ſanitatem tuendam ſtabiliendamque faciat. Optimus itaque a gravidis eligatur aer. Illis autem vrbium, ad paludes praecipue conditarum, aer ſolet admodum noxius eſſe, quippe qui putridis et nimis aquoſis vaporibus ſcateat, hincque corporis noſtri fibras laxet: vnde plures in vrbibus abortus, quam ruri, inque puri et temperati aeris regione obſeruantur, id quod omnes in arte obſtetricia praeclari viri vnanimi conſenſu contendunt. Et cum domicilii aerem ſqualidum vtique ſanitati contrarium, omnino amouere non poſſimus, certe, quantum fieri poteſt, emendandi atque corrigendi officium medico incumbit. Conclauia igitur, aere putrido et corrupto plena, diligenter aperienda, et aceto aliisue corrigentibus ad ſalubritatem aptiora reddenda ſunt. Inter vulgares quoque modos, quibus aeris natura ſolet in hypocauſtis corrumpi, referri debet immoderatus calor, qui ſaepe ibi deprehenditur, intrantique omnem fere praecludit animam. Hoc enim aeſtu expanditur ſanguis, eiusque gignitur ſpuria abundantia: inde aut abortus, aut, ſi pulmonalia vaſa nimis laxa et debilia ſunt, ſanguinis ſputum, quin ſaepe vomitus, aut, ſi verſus caput omnis vis ſanguinis ruit, ingentes capitis dolores ac perpetui, aut denique alia oriuntur incommoda. Aeque, immo magis pernicioſa eſt illa feminarum conſuetudo, qua prunis candentibus inſident. Inde enim oriunda mephitis, vt omni femellae, cuius quippe nerui facillime commouentur, ita inprimis grauidae nocet, dum vapores illi maligni recta via ad partes naturales adſcendunt, ob maximam neruorum copiam valde ſenſiles, ſanguinemque reſoluunt et foetum enecant. Ratione caloris vero praecipue media ingrediantur feminae via. Aeſtus enim vaſa relaxat, ſanguinis diſtenti motum auget, et orgasmos atque congeſtiones excitat; vnde extemplo ſaepe grauidarum animi deliquia, exanthemata, haemorrhagiae, abortus tandem proueniunt, apto caloris moderamine facile euitandi. Nimium contra frigus, inprimis ſi ſubito aeſtum ſequitur, vaſa extremae ſuperficiei coarctando, ſpasmos generando ſanguinisque ma-

maiorem copiam introrſus trudendo, pectori inimicum fit, et foemora laedit. Quilibet denique olentibus particulis impraegnatus aer, ob perpetuam, debilique grauidae corpori minus conuenientem neruorum irritationem, in eandem culpam incurrit, ac mephiticus: vnde patet, olea aetherea, omniaque odorifera, quibus crines, pectus, &c. inungi luxus iubet, noxia, et ob neruorum nimiam excitationem eſſe periculoſa.

Cibus et potus. Poſt aeris, vix alius rei earum, quae *non naturales* audiunt, moderamen maiorem attentionem expoſcit eo, quod ad victum pertinet, in quo vix non omnes grauidae maxime peccant, etiamſi nullo alio morbo, picam vel malaciam puta, de quibus poſtmodum, laborant. Aliae enim nimia voracitate, ex acrimonia acida mulieribus ob laxitatem partium ſolidarum, bilemque fere ſemper aquoſam, nec rite amaram propria, oriunda, totum fere primarum viarum canalem adeo infarciunt, vt foetu grauidus vterus extenſionis fere nullum reperiat ſpatium. Aliae, in contrarium vitium ruentes, nimis quidem delicatulae, ex trutinae lance cibos ſumunt, immo victum ſibi detrahunt, ſic embryonis incolumitati, vt credunt, egregie proſpientes. Aſt vero videndum vtique eſt, ne quid nimis. Nutriri quidem femina vtero gerens vt et lactans debet, nullo modo vero ſaginari. Defectus nutritionis contra, virium in partus et lactationis negotio maxime neceſſariarum inducit pauperiem, nullo pretio redimendam. In vniuerſum itaque praegnans, ſub initium grauiditatis pauco, ad concoquendum facili, tenuique cibo fruatur. Poſt aliquot menſes, cum foetus magis magisque increſcit, maiorem quidem ciborum quantitatem ſumat, attamen caueat, ne vna vice multum edat, quam malam conſuetudinem ſaepiſſime obſeruaui. Vulgo enim, ſed falſo, creditur, grauidam duas diaetas comedere oportere, quoniam infantem nutriat. At vero praeſtat parum vna vice edere, ſaepiusque repetere prandium. Quod ad ciborum delectum attinet, vtendum eſt leuioribus, tenerioribus, nutrientibus, et quae facile digeruntur. Euitanda autem omnia, quae ſolidas partes nimis irritant, ſanguinem exaeſtuant, inque nimium cieant motum.

Quo

Quo quidem pertinent aromata exotica, ſalina copioſa, flatulenta e. ſ. p. Abſtineat grauida porro ab iis, quae aluum obſtruunt, inteſtina onerant et flatibus diſtendunt, qualia ſunt acida copioſa, rancida, pinguia, legumina et olera aere plena, carnes denique omnes, quae pingues ſunt aut digeſtionem difficile ſubeunt.

Neque vero minori cautione in potus delectu opus eſſe, quis non videt? Quae enim potulenta ſanguinem et lympham exaeſtuant atque condenſant, quorum ſunt vina praeprimis minus nobilia, vinum aduſtum, aquae ſpirituoſae, coffeae nimis ſaturatum infuſum, cuncta denique a veteribus ſub nomine *caldae* comprehenſa, ea vel nimiam ſtricturam fibrarum procreando, vel relaxando nocent, quamuis ceteroquin bonae indolis ſint. Porro iſta potus genera, quae inteſtinis inimica ſunt, videlicet cereuiſiae foeculentae, muſtum, omnia dulcedine nimis plena eodem laborant vitio. Eligatur autem potus, qui rite fermentationem paſſus eſt, tenuis, refrigerans, purus, et ſi eius copia datur nobilis, mediaeque aetatis. Praecipue adſuetis aqua frigida, modo non ſit frigidiſſima, nunquam diſſuadenda erit, vt et iis, quarum curta ſupellex alia potulentorum genera non permittit. In vniuerſum vero magis ſitim levare quam colligere gravida ſtudeat.

In his autem omnibus ſimul corporis conſtitutio conſulatur, nec non conſuetudo, quae haud raro cunctis legibus diaeteticis plane contraria eſt, et tamen aut nullum adfert detrimentum, aut adeo prodeſt. Vino meteoriſato male abutentes feminae huius adſertionis crebra teſtimonia exhibent.

Motus et quies. Vti vehementiores animi commotiones, ita et corporeus motus nimius maximopere grauidis obeſt; cum contra modicus digeſtionem, bonamque fluidorum mixtionem adiuuet. Igitur, dummodo via plana ſit, nec nimium ſuccutiat, curru vehi non denegarim. Plurimi medicorum tamen ambulationem credunt magis conuenire. Et ſane negari nequit, quin a vectione in curru ſemper grauidis periculum aliquod immineat, praeprimis vero iis, quae ad abortum vel haemorrhagias ſunt pronae. Saltatio vix permitti poterit, multo minus equitatio celerque curſus.

ſus. His enim cum magna ſanguinis copia ad infimi ventris vaſa deducitur, tum etiam ouulum cum vtero nimis concutitur, et vincula tenella, quibus illud cum hoc coniunctum eſt, disrumpuntur. Sub graui onere gemens atque anhelans grauida, nixu ſuo, primis geſtationis menſibus prolapſum, ſequentibus abortum ac haemorrhagiam facile contrahet. Haec vero non eo valent, vt grauidas ab omnibus omnino laboribus, etiam conſuetis, arcendas eſſe putem. Etenim hi, niſi vires exhauriant, absque periculo, ſi vltimum grauiditatis ſtadium exceperis, peragi poſſunt.

Quietis fines motus peracti ratione finiantur, nec non temperamentorum et conſuetudinis conſideratione. Diuturnus enim et grauis labor quietem requirit longiorem. Verum medici quoque eſt, cauere, ne nimis indulgeant quieti grauidae, quo quidem otii ſtudio ſanguinis et abundantia et craſſitudo, indeque ſaepe pendens partus difficultas contrahitur.

Somnus, optimum cardiacum, a quiete differt, quoniam ſimul animi vires inſtaurat et colligit. Gravidis prodeſt, ipſisque ſuaſerim, vt ei magis, quam vigiliis, indulgeant. Tamen et hic corporis conditio optimas regulas ſuppeditabit. Temporis ſpatium, quod medici in vniuerſum qualibet nocte ſomno conſumere grauidis permittunt, horis octo vel nouem continetur.

Animi Pathemata. Solemnis eſſe ſolet obſeruatio practicorum, omnes, quorum nerui abdominales atque pectorales continuo adficiuntur et irritantur, id quod in phthiſicis ac tabe glandulari laborantibus obſervari poſſe contendunt, in iracundiam, atque quaeuis animi pathemata eſſe quam maxime pronos. Quae admodum probabilis ſententia egregie explicare mihi videtur, cur plurimae praegnantium ad iram et terrorem adeo inclinent. Cum vero omnes triſtes, vehementes ac repentinae animi commotiones tali feminae valdopere noceant, ſollicite ſunt ipſi fugiendae.

Excreta. Quo maiorem cibi nutrientis quantitatem grauida ſumit, eo frequentiora eius excreta eſſe debent. Aluus qualibet die

die aperta ſit: quod ſi non evenerit, tunc ars naturae deficienti in auxilium veniat. Neque lotium grauida diu retineat, ne ſtranguria aliusue huius generis morbus accedat, quem viarum compreſſio et anguſtia, ab vtero ponderoſo orta, facile auget. Sudor, modo moderate exeat, in bonam partem accipi poteſt. De excretis morboſis, quae grauiditatem non raro concomitantur, nec non de iis per vaſa ſanguifera, paulo poſt quaedam diſſerui.

Magni aeque momenti res eſt vtero gerentium *veſtitus*, in quo quantum peccetur, haud raro infantum compreſſi naſi, diſtorta membra, atque regulae fibulatoriae in fronte relicta veſtigia palam loquuntur. Praeter deformem enim adſpectum, vitaliumque actionum hebetationem, praecipue iunioribus atque grauidis, diſſuadet ſana ratio aeque ac experientia thoracis et fibulatorii vſum ac applicationem. Summa enim vi ventriculum et inteſtina comprimit, digeſtionem eo ipſo reddit difficiliorem, vterumque impedit, quo minus iuſto tempore verſus ſuperiora ſurgere queat; vnde nauſea, humorum ſtagnationes, et non raro ſitus infantis peruerſus, eiusve deformatio ſiue debilitas. Deinde et mammas, ſenſim ſenſimque creſcentes, offendit, quae, ad lactis fabricam deſtinatae, maiorem humorum copiam ſuſcipere quidem debent, ob externam autem preſſionem non ſatis extendi poſſunt. Crebra triſtiſſimaque experientia medicos, proh dolor! docet, talem compreſſionem, a fibulatorio effectam, ſcirrhi carcinomatisque mammarum primaria cauſa ſit. *). Sed thoraces non ſoli, verum etiam omnia anguſtiora veſtimenta acrem omnino cenſuram merentur, quod illas moleſtias, quarum haud exigua caterua grauidae premuntur, anxietate, quam efficiunt, adhuc augent, easque ideo ad varios morbos magis diſponunt. In memoriam hic ſatis commode re-

*) Conſ. Io. ZACH. PLATNER. Opuſc. Tom. I. diſſ. 3. de thoracibus: nec non BAECKIVS, clarus Suecorum medicus (*Schwediſches Magazin* Vol. I. p. 423.) ZUFCKERT (*Diaet der Schwangern und Kindbetterinnen* Cap. 3. §. 15. pag. 39.) Io. PET. FRANCK (*Syſtem der mediciniſchen Policey* Tom. I. p. 539.) aliique.

redit triſte feminae cuiusdam exemplum, quod, cum Berolini medicae ſcientiae addiſcendae cauſa degerem, accidit, quodque cautiores alias reddere poterat, modo non conſuetudinis imperio lubentius, quam medico, optimas ſanitatis conſeruandae praecepta dictanti, obtemperarent. Muliercula ſcilicet tenella calceis altiſſimis, in cothurnorum ſpeciem efformatis *) adſueta, primae graviditatis quinto menſe, diffracta ab aucto corporis pondere, qua calcaneum innititur, columella lignea, in via publica concidit. E quo quidem lapſu ita terrore commouebatur, vt in proxime adiacentem domum illata, abortum faceret, quem tanta vteri haemorrhagia ſequebatur, vt ei ſiſtendae vel experientiſſimi medici nullo modo pares eſſent. Itaque miſera, lethargo ſuperueniente, tertio die poſt obiit.

Diu multumque agitata, et a Medicis et a Theologis **), eſt quaeſtio de *concubitu* cum grauida femina: an licitus ille ſit, nec ne? Nolo hoc loco omnia argumenta repetere, quibus feminas etiam grauidas Veneri litare poſſe, multi demonſtratum iuerunt. In eo potius allaborabo, vt eiusmodi concubitum, niſi per mariti nimium in Veneris caſtris militandi ardorem plane omittere liceat, certe rarius et maiori cum cautione inſtituendum eſſe oſtendam. Experientiam hic ducem ſequar: non brutorum animalium, poſt foecundum coitum mares non admittentium, vtar exemplis ***); non ad matrimonii aſſecutum finem, prolis procreationem, reſpiciam: non iuris canonici ſcriptorum nitar auctoritate, qui omnes concubitum cum grauida naturae repugnare pertinaces adſerunt. Liceat Klinkoschivm, auctorem vtique grauem, in medium tantummodo adferre, qui feminam norat, quae quinquies iam abortum fecerat, propterea, quod per grauiditatem cum marito rem habue-

*) De noxa, ex eiusmodi calceis in foetum redundante, vid. laudat. Platnervm, l. c. et Pet. Campervm *von der beſten Form der Schue.*

**) Conſ. Pavl. Zacchiae Quaeſt. med. legal. Libr. VII. tom. 3. quaeſt. 3. no. 15.

***) Deleurye, Traité des Accouchemens, à Paris 1770. pag. 94.

buerat, quaeque non prius votorum ſuorum rea facta eſt, quam vbi medico, omnem coitum poſt conceptionem interdicenti, quamuis inuita, tamen obtemperabat. Idem nobilem narrat virum duas vxores enecaſſe, quod, ſuadente id eo conſilio obſtetrice, vt partum ipſis redderet faciliorem, verſus grauiditatis finem paulo ardentius eas amplexus fuerat. Quodſi in cauſas inquirimus, ob quas illis incommodis obnoxius ſit, eas videbimus faciles eſſe ad inueniendum. Abdomen enim in coitu cum comprimatur, vterus, a foetu iam tumidus, inde non poteſt non in huius compreſſionis ſocietatem venire, atque in vaginam deſcendere, vnde repetitis ictibus a pene, praecipue viri bene armati, verſus ſuperiora iterum truditur. Vaſa porro vteri, per grauiditatem ſanguine turgentia, ex irritatione, ab admiſſo pene producta, magis ſanguine replentur; vnde obſtructiones, inflammationes, ſcirrhus vteri, vel certe ſpaſtica vteri contractione, abortus, originem trahent ſuam *). Quod vltimo nominatum eſt loco malum, facilius accidet, ſi coitum mulieres patiuntur primis vltimisque geſtationis menſibus, quam ſi media grauiditate idem fecerint: in illis nimirum oui, vterum replentis, cohaeſio cum matre aut perexigua aut nimis laxa eſt. Interim tamen et ad feminae temperamentum reſpici debet, niſi in diiudicanda eiusmodi coitus ratione a vero aberrare velimus. Quae enim laſciua, et valde ſenſilibus praedita neruis fuerit, multo facilius inde abortui obnoxia erit, quam phlegmatica, quae eo luſu neque multum delectatur, neque magnopere commouetur. Praeter allata denique incommoda, coitum, vltimo grauiditatis tempore celebratum, ad peruerſum ſitum infantis eiusque difficilem exitum facere omnino poſſe, quilibet facile intelligit.

Medicina grauidarum prophylactica.

Etiamſi mater futura neque de grauioribus incommodis conqueratur, neque eius actiones vitales a foetus, vtero incluſi, ponde-

*) Vid. Diſſ. medicae ſelect. Pragenſes, Vol. I. diſſ. 15. pag. 237. ſeq.

dere adficiantur, tamen non plane alienum eſſe puto, ipſius ſanitati proſpicere, et remediis vti, quibus ea conſeruari morbique imminentes praecaueri queant. Etenim iamiam monuimus grauidam, licet bona fruatur valetudine, morbo vtplurimum proximam eſſe. Inter eiusmodi vero prophylactica remedia primo ponunt loco venaeſectionem, de qua cum in ſequentibus propria quaedam adferre conſtituerim, hoc loco nihil occupabo. Praeterea facile eſt ad perſpiciendum, aluum in grauidis ſaepe debere eſſe tardam, quin penitus obſtructam, cum inteſtina ab vteri diſtenti mole comprimantur, ſicque motus periſtalticus, a quo praecipue pendet excretio aluina, impeditur. Inde autem non poſſunt non multae particulae acres et noxiae reſorberi, inque ſanguinem latae variae acrimoniae varii morbi cauſa euadere. Quamobrem medici eſt, grauidae interdum medicamentis leniter euacuantibus, ex lubricantium genere exhibitis, iſta acria ſcybala, ſimulque futurorum morborum fomitem ſubtrahere. Certe haec curandi ratio, quae multis medicis placet, grauidis phlegmaticae et bilioſae conſtitutionis magis proderit, quam venaeſectio. At cuitanda ſunt omni modo purgantia fortiora, reſinoſa, pillulae balſamicae aloeticae valdeque adſtringentia; e contra rhabarbarinis, ſtomachicis, amaris puris, ſalibus mediis, ac, ſi anni conditio permittat, fontibus medicatis, aperienti indole praeditis, vtendum. Potiſſimum vltimo menſe euacuantia leniora praeſcribenda ſunt, quibus acida et cruda aut etiam putrida materies, per grauiditatis longum ſpatium in primis viis collecta, expellatur. Hoc enim modo euacuato inteſtinorum canali et partum leuamus, qui ſolet eſſe laborioſior, quando inteſtinum rectum ſcybalis duris infarctum vtero non poteſt cedere, et ſubtrahimus etiam febri, quae puerperis ſolet eſſe ſolemnis, omnem inuadendi opportunitatem. Ipſa in hac re natura magiſtram ſeſe exhibet noſtram. Sunt enim feminae, erga quas ipſa ita benefica eſt, vt breui ante partum lenem cieat diarrhoeam, quae hanc materiem euacuat. Quod quidem naturae beneficium, niſi ſua ſponte obuenerit, clysmate omnium optime et blandiſſime alliciatur. At enimvero peruerſa plebis opinio praegnantibus hoc beneficium plerumque ſubtrahit; nam clysma vulgo heroica medicina habetur, quaſi

vni-

vnicum atque vltimum, contra imminentem mortem, eſſet auxilium. Qua de cauſa res conclamata fere creditur, quando medicus, variorum ſolummodo incommodorum praecauendorum cauſa alui ſuadet lotionem. Contra ea feminae, inprimis nobiliores, ex altera eaque oppoſita parte non minus grauiter peccant, cum nimis multis alui lotionibus, quas ſibi aut iniiciendas curant, aut ipſae, ope machinae in hunc finem paratae, applicant, digeſtionem laedant, inteſtina relaxent, eorundemque ſibi contrahant leuitatem. Nam, Celso iam recte praecipiente, *purgationes, vt interdum neceſſariae ſunt, ſic, vbi frequents ſunt, periculum afferunt.* Omne autem enema, grauidis iniiciendum, ſit ſimplex, leve, emolliens, refrigerans, omnique ſtimulo priuatum.

Vomitoria occurrunt, de quorum vtilitate diſpiciendum eſt. Ea vero vix non ſemper nocent, cum actio ipſorum nimis vehemens ſit, musculi abdominales cum diaphragmate violentiſſimo motu verſus inferiora abdominis viscera vrgeant, adeoque vterum, imo contentumque ibi foetum nimis ſuccutiant, vnde metus, ne illud ſoluatur vinculum, quo foetus cum matre coniunctum eſt, atque oriantur partim haemorrhagiae vteri periculoſiſſimae, partim abortus. Hinc potius diſſuadenda quam praeſcribenda ſunt, niſi ea peculiaris cuiusdam morbi indoles omnino poſtulet. Eligenda vero tunc temporis ſunt leniſſima, motusque inde in ſanguine nervorumque ſyſtemate oriundi aliis medicamentis, venaeſectione, ſi eam inſtituere liceat, remediisque antiſpasmodicis ſedantibusue mitigandi. Praecipue autem ſumma cautio adhibenda eſt, ne imprudenter vomitoria exhibeamus iis, de quarum vitae ratione nihil nobis conſtat: nam grauiditatem quae celari cupiunt, auidiſſime efflagitant a medico vomitum, quoniam eo abortus periculum concitatum iri facile praeuident.

Diaphoretica et diuretica rarius commendantur, ac praeferendus eſt ille naturae ipſius beneficus ſudor, lotiique excretio larga, quarum neutra ſupprimi debet. Poterat tamen quis vrinam moventia medicamenta propterea defendere, vt maxime vtilia grauidis, quod ipſae, praeſertim vtero aut verſus anteriora, aut verſus poſteriora reclinato, interdum admodum pertinaci laborant vrinae

ſuppreſſione. Verum tamen tunc maxime nocent, cum non recludant vrinae iter, ſed tantum maiorem lotii copiam ad veſicam alliciant. Quo fit, vt veſica nonnunquam in ingentem expandatur molem, paralyſi adficiatur, quin penitus rumpatur. Hinc vrinae excretione ſupreſſa equidem ſemper praetulerim catheteris adplicationem.

Neque vero balnea, dum ſanguinis motum valde accelerant, medicorum plauſum ferunt in grauiditate adhibita, ſi vltimam eius periodum exceperis, vbi in primiparis aliquando proſunt. Diligenter autem cauendum erit, ne nimis calida ſit aqua, in quam grauida deſcendit.

De grauidarum venaeſectione in ſpecie.

Quanquam inter omnia remedia, quibus grauidas ſanitatem conſeruare poſſe ſuam ſupra diximus, venaeſectio facile principem ſibi vindicat locum, tamen nec minus certum eſt ac indubitatum, eandem et ſubinde maximorum incommodorum euadere foecundam matrem, atque a medicaſtris et obſtetricibus inconſiderate adhibitam et matri et foetui ſaepiſſime in maxima eueniſſe mala. Quare de hac re, quamuis breuiter, tamen quaedam exponere apud animum conſtitui meum. Mos obtinet apud vulgum, legis fere religione ſancitus, quamque grauidam, vt bene valere cupiat, ita venam ſibi, dum vtero ferat, ſecandam curare debere. Equidem licet non negauerim, eam multis vtilem, quin et ſaepius plane neceſſariam eſſe; tamen ſunt feminae quibus detractus illo tempore ſanguis potius noceat, quam vtilitatem aliquam praeſtet. Intereſt enim multum, plethoricae, an illi, quae ſanguine non abundat, iuueni an profectiori venam ſecari iubeas. Quomodo enim illa poterit neceſſarium foetui largiri nutrimentum, quae iam per ſe parco ſanguine, particularum nutritiarum fonte, repleta, eius, vt mori recepto indulgeat, ſibi adhuc detrahendam curat aliquam, etſi paucam, quantitatem? Deinde iuniores feminae, praecipue bona ſanitate praeditae, facilius ſanguinis ferunt iacturam, quam profe-

fectiores et breui effoetae, propterea quod illarum organa haematopoeia melius valent, digeſtioque tunc etiam naturae legibus convenientior, materiam ſuppeditat talem, e qua iterum blandus parari poteſt ſanguis. Neque vero minus cauti ac prouidi eſſe debemus in venaeſectione grauidis imperanda, propterea quod pleraeque feminae ad ſanguinis conſpectum toto fere corpore ſoleant contremiſcere, atque animo linqui. Cuius quidem ingenii femellis, niſi ſumma vrgeat neceſſitas, ſanguis detrahatur nullus. Denique prius, quam venaeſectionem imperamus, etiam ad geſtationis tempus reſpiciendum eſt. Illud enim aeque noſtram meretur tunc animi attentionem, ac locus, vnde ſanguis emittatur, et copia, quam detrahi volumus. Quod ad tempus attinet, quo venaeſectio ſuſcipienda eſt, medicorum conſilia et opiniones inter ſe magnopere differunt. Nunc enim celebrant eam, quae primis inſtituitur grauiditatis menſibus, eo conſilio, vt neruorum ſenſibilitas vel potius irritatio minuatur; nunc media geſtatione venam aperiendam eſſe aſſerunt, vt ſanguinis abundantia, quae tunc temporis grauidis moleſtiſſima eſſe ſolet, imminuatur; nunc denique ſub grauiditatis finem ſanguini e vena exitum pandere ſatius eſſe ducunt, quoniam aut varices, haemorrhagiae, humorum ſtagnationes, eo modo optime praecaueantur, praeſentiaue curentur, aut partus acceleretur faciliorque reddatur. Equidem, ſi meam liceret inter ponere ſententiam, venaeſectionem primis grauiditatis menſibus, ſanguinis aeſtum imminuendi gratia, inſtituendam curarem: quippe cum menſtruus fluxus vtplurimum iſto tempore ſupprimatur, quo tenellus foetus minima tantum huius ſanguinis quantitate ad nutritionem augmentumque puſilli corporis ſui indiget, humores inde magnopere aucti vaſa diſtendunt, et ad ſpongioſa viſcera, quo pulmones et vterus pertinent, maximo impetu feruntur, vnde ſanguinis ſputum et praematura foetus excluſio ſaepiſſime euenit. Hinc facile eſt ad explicandum, qui fiat, vt plurimi abortus ante tertii menſis finem obſeruentur.

Oſtenſa igitur ſanguinis primo grauiditatis tempore detrahendi neceſſitate, vel vtilitate ſaltem, definienda quoque erit eiusdem copia, ne in re bona ac laudabili extra oleas vagantes, magis noce-

cea-

ceamus quam proſimus, ſicque venaeſectioni malam inuramus notam. Magna enim copia, primis grauiditatis menſibus educta, vario modo nocebit, inprimis quod eius motus, nimis inde auctus *), tenerrimum foetum facile expellere poteſt. Quid? quod etiam ei nutritionis materies ſubtrahitur. Etenim eos infantes conſtat, qui matribus per grauiditatem menſtruatis naſcuntur, ſanitate frui admodum imbecilla; multo magis id iis accidet, quorum matribus is, qui a natura ipſis denegatus eſt, ſanguinis fluxus arte conciliatur **). Conueniunt praeterea pene omnes, qui de medicina ſcripſere, auctores in eo, vt vberrimam ſanguinis miſſionem grauidis non prodeſſe, et, ſi tempora incidant, quibus multum ſanguinis detrahi ſumma iubeat neceſſitas, melius eſſe contendant, venaeſectionem iteratis vicibus ſuſcipere, ita tamen, vt qualibet exiguae tantum ſanguinis copiae exitus cedatur.

Locus adficiendus vt plurimum brachium eſto: ita enim impedimus, quo minus motus ſanguinis auctus verſus partes genitales deferatur. Neque tamen ideo omnem e pedis vena ſanguinis emiſſionem omnino improbatam velim, quippe quae et interdum in grauidis magis conducit, quam quae in brachio inſtituitur; et male ageret medicus, qui antecapta de illius venaeſectionis noxis opinione commotus, ſemper et vbique grauidis venam in brachio aperiendam eſſe ſtatueret. Haec enim ſanguinem emittendi ratio certiſſime nocebit tunc, cum adſunt congeſtiones verſus cerebrum, apoplexia ſanguinea, aſthma, inflammatio ſuperiorum corporis partium, eiusmodique alia incommoda. Quando conuulſionum metus nos anxios detinet, venam in collo ſecari iubet Deleurye ***). Sic

*) Id venaeſectione effici, experimentis probarunt Quesnay, (Sur les effets & l'uſage de la Saignée, à Paris, 1780. pag. 80. ſeq.) Hallervs (Mém. ſur le mouvement du ſang & ſur les effets de la Saignée. Sect. VII.) aliique.

**) Conſ. Dan. Gottl. Thebesii Obſerv. de largiore et repetita in grauidis venaeſectione, infantum imbecillium cauſa, in Ephem. Nat. Curioſ. Tom. I. p. 80.

***) Vid. ej. Traité des Accouchemens. à Paris. 1770. pag. 96—97.

Sic alia morborum genera aliud in hac re iudicium poſtulant, quod autem, dum grauiſſimi eſt momenti, neutiquam medicaſtro, ſed medico rationali et docto committendum eſſe, iam per ſe patet. Maxime vero cauendum grauidis a venaeſectione puto, quando plane nullo vrgentur incommodo, ſanguinis iacturam flagitante; nec eam vnquam ſolo prophylaxeos conſilio in vſus vocandam eſſe.

Morbi grauidarum in genere.

Quamquam feminis, quae foetum in vtero alunt ac fouent, agmina morborum minitari, ſupra iam diximus: negandum tamen non eſt, eas quoque interdum a grauiditate contra morbos varios muniri, iisque, quibus antea adficiebantur, liberari. Illi vero imminentes morbi admodum diuerſi ſunt, vt, quot grauidae, tot nouae morborum ſpecies numerari fere poſſint. Etſi enim quoad claſſem ſcholaeque diuiſionem communes ſint morbi, tamen diuerſiſſimo modo ſeſe exſerunt, variasque ludunt in variis corporibus ſcenas, adeo intricatas, quibus enodandis vix oculatiſſimus medicus par ſit. De hisce vero vt fuſius exponam, cum anguſti, quibus hic libellus circumſcriptus eſt, limites non concedant, liceat verbo tantummodo eos attingere. Diuiduntur ſcilicet a medicis in *tales*, qui *grauiditatem* pro *cauſa* agnoſcunt, et in *eos*, qui *grauiditatis* ſequelae *neutiquam* dici merentur. *Prioris* generis affectiones vt plurimum certis grauiditatis *ſtadiis propriae* vel ſaltem in iis *frequentiores* obuiae ſunt, cum *poſteriores*, *nulli* grauiditatis *tempori adſtrictae*, accidere queant. Ad *illas* referuntur vel morbi *ſpaſtici* atque *neruoſi*, vt: *appetitus ciborum aut deficiens*, *aut nimius*, *aut inſolitorum*; *nauſea*, *vomitus*, *diarrhoea*, *cardialgia*, *colica flatulenta*, *nephritica*, *hepatica*; vel qui a *plethora* proueniunt, quales ſunt: *dentium dolor*, *agrypnia*, *mammarum dolor*, *aſthma*, *haemoptyſis*, *cordis palpitatio*, *ſcotomia*, *apoplexia ſanguinea*; vel denique *mechanici*, v. c. *dyſuria*, *vrinae incontinentia* vel *ſtillicidum*, *teneſmus*, *haemorrhoides varii generis*, *varices*, *pedum oedemata eorumue phlegmone*, *hernia*, *aquarum profluxus*; vtpote quorum vitiorum originem in adeo vaſtum ſpatium extenſus vterus optime declarat. *Alterius* generis morbi ſunt: *conuulſiones*,

catameniorum praeſentia, in grauiditate ſaepius periculoſa, *inflammationes viſcerum*, *haemorrhagiae*, *abortus*. Ad *illos* morbos, qui *non a grauiditate* pendent, omnes ceteri referendi ſunt, quibus femellae adfici ſolent. Circa quos quidem notandum venit hoc, quemlibet morbum *aduentitium* multo periculoſiorem eſſe in grauida, quam in aliis hominibus, eoque maiori cum diligentia debere tractari. Praecipue vero omnes morbos ſub finem grauiditatis accedentes maius minari periculum, quam initio medioue, ratio docet, experientia comprobat.

Quamuis autem totius huius morborum cateruae Pathologiam Therapeuticenque excutere iam non liceat, decreui tamen de nonnullis ac paulo frequentioribus ſuccinctam addere breuemque expoſitionem.

Pica ſiue Malacia.

Mulieris grauidae ſingularium et inconſuetarum rerum vel ciborum vorandi cupiditatem, ſub *Picae* ſeu *Malaciae* nomine comprehendunt medici. Non ſolae vero grauidae, verum quandoque etiam chloroſi laborantes puellae eodem adfliguntur malo, quas eadem cum delectatione, ac grauidas, corium, gypſum, cretam, carbones, araneas, crudas carnes, et merdam deuoraſſe, obſeruatores ſcriptis tradidere ſuis. Cuius quidem mali cauſa in irritatione fibrarum ventriculi, a cruditatibus acribus producta, plerumque quaeritur. Cur vero et quomodo ex hac acrimonia, animi, alias eas ipſas res, vt araneas v. c. maxime auerſantis, natura ita in contrarium mutetur, ego non dixerim. Hoc potius animaduertam, morbum hunc, cuius indoles maxime abſcondita nos fugit, quantum imperium animus in noſtrum corpus habeat, luculenter comprobare. Cum enim deſiderio noxiarum rerum, modo non in eo explendo modus excedatur, plerumque ſaltem corpori nullum inferatur damnum, contra vero, dum grauida eiusmodi vehementer, quamuis inepta, deſiderata re non potitur, ſaepe mala oriantur grauiſſima, facile eſt ad perſpiciendum, omnia nociua non niſi tunc, cum maximo eorum flagrant femellae deſiderio, ſine morborum inde

de oriundorum periculo poſſe adſumi. Etenim ex pertinaci eorum denegatione conuulſiones, animi deliquia, abortus adeo, et, quod frequentior obſeruatio comprobaſſe dicitur, vitia quaedam ſiue naturae luſus in tenerrimo embryonis corpore eiusque formatione euenere. Quae quamvis vera eſſe poſſint, tamen hoc magis adhuc extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, femellis in hac re nimis indulgeri. Sin minus ſeueris diaetae legibus ſeſe ipſae adſtrinxere, ſed in quodcunque tandem ipſarum feratur animus, eo potiri cupiunt, et potiuntur, ſane tunc frequens cupediarum dulciumue amor, modo in ſingularem appetitum, ſenſimque in veram malaciam degenerat. Obſeruavi autem in noſtro morbo, illud *principiis obſta* omni alii medicinae palmam eripere; primo enim rei praeternaturalis et inconſuetae deſiderio ſuppreſſo, vix vnqvam aliud occupare animum ſolet. Pluribus enim, quibus huiuscemodi deprauati appetitus ſuppreſſionem ſuaſeram, quaeque eam, quamuis aegre, tamen ſtrenue obſervarunt, neque denuo malaciam, neque malum inde vllum ſuperveniſſe, experientia edoctus noui. Solet vero malum, niſi grauidae omni, quo poterant, virium nixu contra pugnantes ipſum praecaverint, plerumque tantum per quatuor primos geſtationis menſes eas male habere: illi, quod reliquum eſt, grauiditatis tempori, rarius ſuperuenit. Quare, cum res deſideratae digeſtioni et humorum circulationi periculoſae ſint, eas cupienti omnino denegare praeſtat. Medici vero eſt, niſi feminas a deprauato eiusmodi adpetitu aptis perſuaſionibus, auctoritatisue, qua pollet, vi abducere poteſt, naturam ſequi magiſtram, et tantum ea, quae ex iſta pica in corpus grauidae infantisque, quem vtero geſtat, redundare poterant, incommoda emendare. Sic muliere acidos cibos auerſante, contra ea in gypſum, cretam, aliaque terrea maxima cupiditate abrepta, acidam acrimoniam in eius humoribus adeſſe in propatulo eſt. Ad hanc corrigendam Magneſiam, leuiſſimum inter acidum reſorbentia remedium, ſuadebit, vtpote quod grauitate ſua minore faciliorique ſolubilitate non, vt creta gypſumue, ventriculo oneri ſit, maioremque acidi copiam poteſt reſorbere. Eadem via incedendum erit, quando alius acrimoniae adſunt ſigna: exhibenda ſcilicet remedia ſunt, quae iſti acrimoniae oppoſita laudantur.

Oedema pedum.

Ex vteri grauidi, vaſa abdominalia prementis, aucto pondere ſanguinis lymphaeque ſtagnationes oriuntur. Praecipue vero id vltimo grauiditatis tempore, quo vterus verſus peluis fundum iterum deſcendere incipit, magno illi elegantique vaſorum lymphaticorum accidit reti, quod ab inferiorum artuum adſcendentibus truncis in oſſis ſacri interna ſuperficie, ad eius promontorium, efformatum, Hewsonvs primus egregie deſcripſit, et nos in theatro anatomico Lipſienſi aeque ac Berolinenſi aliquoties ſumus admirati. Lymphaticae illae venae hocce modo, quominus libere agere queant, impeditae, lympham reſorptam non poſſunt in commune huius humoris collectaculum deponere, vnde ſtagnatio, et e ſtagnatione tumor pedum aquoſus oriri debet, mollis, doloris et coloris vt plurimum expers, digitique preſſioni cedens, quem *oedema* nominamus Obſeruatur potiſſimum ſub finem grauiditatis, ſeptimo, octavo. aut nono menſe, raro periculum adferens, niſi, quando vsque ad genitalia et abdomen propagatus, impreſſas digito foueas non iterum eleuat. Nam tunc in hydropem anaſarca tranſiit, morbum, vix non ſemper cum vaſorum lymphaticorum ſumma debilitate vel ruptura coniunctum. Tunc vero funeſtus exitus metui debet, ea propter, quod medelam morbus difficile admittit. Praeter ea genitalia, hoc tumore nimis diſtenta ac quodammodo rigida, partum difficiliorem efficiunt, quoniam viae redditae ſunt anguſtiores. Si oedema crura modo, genua ſeu femora occupat, quamuis non ſit periculoſum, tamen aduerſus optima medicamenta vt plurimum diu ſatis rebelle eſſe ſolet.

Cum vero curatio, quae ſatis barbare *radicalis* nuncupata eſt, cauſa mali, grauiditate, adhuc durante, promitti vix queat, in malo levando certe, quantum poterit, deſudabit medicus. Suadebit igitur, qui eo facit, decubitum in latus alternum, ne vnius tantum lateris venae iliacae vaſaque lymphatica ſemper premantur; ſitum pedum horizontalem; lenem totius pedis, inde a digitis inuolutionem, faſciarum ope peractam; moderatum denique motum. Medicamenta praeterea lubricantia, ſanguinis parca miſſio, nec non ſumma cu-

tis

tis vrgente extenſione paruae inciſiones ad inferiorem pedis regionem factae, malum leniunt, quod ſolus partus perfecte ſanat. De epithematibus vero adſtringentibus et ſpirituoſis, quae a clariſſimis medicis nunc ſummis celebrantur laudibus, nunc acerbiſſime reprehenduntur, equidem media via tutiſſime incedi poſſe ſtatuo. Praecipue autem tum, cum poſt chirurgica adminiſtratione extractum foetum crura oedematoſa remanent, applicanda videntur. Facile denique intelligitur, oedema, ceſſante cauſa, nimirum vteri prementis pondere, ſenſim, niſi in hydropis ſpeciem iam degenerarit, euaneſcere.

Varices.

Varices ſunt tubercula mollia, nodoſa, ex atro liuida, vt plurimum indolentia, quae digito compreſſa euaneſcunt, eo remoto breui iterum in conſpectum veniunt. Videntur eae in venis idem vitium eſſe, quod in arteriis aneurysma vocatur, et ſummam certe cum eo alunt ſimilitudinem. In vtroque enim morbo ſanguis vaſorum parietes vltra modum extendit, tumoremque efficit nunc maiorem, nunc minorem. Varicum autem grauidis infeſtarum cauſam in venarum iliacarum compreſſione, ab vteri mole auctoque pondere producta, indeque impedito ſanguinis ex artubus inferioribus, qui iam per ſe ſolet eſſe languidior difficiliorque, refluxu quaerendam eſſe, vix videtur commemoratione egere, quippe cum quilibet, anatomes non omnino rudis ac expers, facile intelligat, ex hoc impedito ſanguinis refluxu debere eo magis venam ſaphenam femoraleſque diductas turgere, quo fortius venae iliacae ſint compresſae. Varices nonnunquam per crura ad infimum vsque pedem diſcurrunt; quid? quod etiam ad vaginam vsque vteri adſcendunt. Dum modicae ſunt magnitudinis, nec in nimiam excreſcunt molem, vix periculo plenae ſunt. Ad pollicis vero craſſitiem et vlterius adhuc diductae vel rupturam pernicioſamque haemorrhagiam, interdum ob vaſa ſanguine exhauſta abortum efficientem, minitantur; vel vlcera, ob humores mora diuturna acriores redditos, dif-

ficillima ſanatu, inflammationes, dolores vix tolerandos, ſcirrhos, gangraenam ſphacelumque progenerant. In vniuerſum vero ſpem concipere licet, fore, ut, ſi corpus omnis expers ſit malignitatis, nec humores cacochymia infecti fuerint, poſt partum iſtae venarum protuberantiae iterum ſubſidant, et in naturalem dimenſionem vaſa ſe recipiant. Primiparis ſi accidunt varicum incommoda melioris indolis eſſe ſolent, quam in iis, quarum vaſa a crebra geſtatione ſimilique diſtenſione, iam naturalem quaſi ad diductionem dilatationemve acquiſiuere habitum.

In auxilium vero vocari cum ſoleat medicus, tunc demum, quando malum fere eſt conclamatum, internis medicinis nihil fere effici poſſe, ſed chirurgiam in vſum vocandam eſſe nemo non videt. Siue enim ſanguis in telam celluloſam, ſub communibus integumentis poſitam, effuſus iam ſit, ſiue hanc tantum inundationem minetur, ſiue denique inflammatio nodorum ad repentinam medicinam nos compellat, lanceola varices incidendae ſunt, grumoſusque ſanguis inde extrahendus: neutiquam vero ſequenda eſt medicorum, quos antiqua protulit aetas, ratio *), qui totum vaſis truncum diſcindi iubebant. Quodſi a chirurgi ſcindente inſtrumento femellarum timor nimis abhorreat, leuiusque ſit malum, partes adfectas faſciis paulo latioribus inuoluere, ſicque vaſa dilatata comprimere et ab vlteriore diſtentione defendere praeſtat. Num vero talia linteamina humore aliquo imbui debeant, nec ne? adhuc ſub iudice lis eſt. Diſſuadendum vtique non erit; attamen commendata a quibusdam adſtringentia et ſpirituoſa, calloſitatis aliorumue incommodorum producendorum metum excitant haud leuem. Quapropter nobis tutior videtur eorum ſententia, qui ad ſanguinis grumoſi, in varicibus ſtagnantis, reſolutionem impetrandam, et ad robur vaſis diſtenti reconciliandum, refrigerantibus et anodynis vtuntur, vel aceto vinoue calido femora foueri iubent. Memini etiam interdum laminarum plumbearum faſciis ſuppoſitarum applicationem a medicis vtilem inueniri, quorum virtus potiſſimum in re-

*) Vid. Celsvs, vbi in hoc caſu aduſtionem praecipit. Lib. VII. c. 31.

refrigerando et comprimendo repoſita eſſe videtur. Laudantur quoque, et merito, tibialia et braccae e mollibus pelliculis animalium paratae, ob calorem et blandam compreſſionem haud parui aeſtimandae. His igitur artubus inferioribus ad varices comprimendas applicatis, etiam idoneus concedatur ſitus, ne, dum crura pedesque perpetuo deorſum pendeant, a ſanguine difficulter refluo varix verſus exteriora vrgeatur. Vbi vero varices ad ingentem magnitudinem increuerint, tunc ad hirudines ſiue cucurbitulas; aut ad venaeſectionem, baſilica vena linteo compreſſa; denique ſummae neceſſitatis tempore, vbi tumores nigreſcentes rupturam minitantur, ad ipſorum ſectionem confugiendum eſt. Quae quidem operatio optime ſcalpello ſecundum longitudinem venae inſtituitur ſanguinisque craſſi vnicae octo ad decem educantur: quo facto diligenter curandum eſt, vt membrum faſcia, plumbeis lamellis munita, ligetur, apta ceterum adhibeantur medicamina ex materia chirurgica *). Antequam vero chirurgica manus accedat, tentanda ſunt medicamenta, quae, cum potiſſimum primo grauiditatis tempore oriantur varices, non raro earum cauſam opprimunt, ac, niſi malum penitus auertant, tamen illud differunt, periculoſumque ſanguinis profluuium ad tempus ſaltem impediunt. Praecipuam, experimentisque quam plurimis firmatam varicum curationem exhibet, ac magnopere commendat RICHTERVS **), qua quidam huius, quam Vir Illuſtris ornat, Academiae ciuis nunquam fruſtrata ſpe vſus eſt. Muriae nimirum, ex ſalis Ammoniaci drachmis ſex duodecim vnciis aquae fontanae ſolutis compoſitae, immittuntur ſplenia, quae bene madentia cruribus per faſciam aliquoties de die applicantur; haecque ratione plurimas ab hoc incommodo curatas fuiſſe ipſe RICHTERVS auctor eſt. Interna vero medicamenta, quibus varicum aut ortum praecauere, aut praeſentiam lenire cupimus, humorum imprimis ſpiſſitudinem et viſciditatem diluere, ſanguinis motum coercere, vaſaque roborare debent. Ex-

imiae

*) DELEURYE, aliique multi varicem aperiri vetant.

**) Vid. eius *chirurgiſche Bibliothek. 6. Band, 3tes Stück, Seite 542.*

imiae vtilitatis habentur, poſt potus diluentis vſum, euacuantia leniora, pulpa tamarindorum, manna calabrina, tartarus tartariſatus, aliaque; quae clysma, optimum inteſtinorum lubricans, comitetur. Praeter ea et reſoluentia, antiphlogiſtica aeque ac antiſpasmodica aduerſus varices plurimum valent. Laudantur prae reliquis antimoniata, caſtoreum, papauer album, ſemina quatuor frigida, meliſſa, ſambucus, fumaria, oreoſelinum, chamaedrys, centaurium minus et quae ſunt alia. Alii vero morbo, praeprimis febri, accedentes varices aliam, paucis quidem mutatam, requirunt medendi rationem. Cum enim ſoleat haec febricula indolis eſſe fere ſemper inflammatoriae, venaeſectione, antiphlogiſticis, et temperata paulo magis frigidiori diaeta optime ei ſuccurritur. In hoc autem, vt et in reliquis caſibus dependet potior curationis pars ab ipſa aegrotae magis vel minus ſeueris legibus adſtricta diaeta, quam niſi diligentiſſime ſequatur, in maximam inde ſeſe coniicere poteſt perniciem. Si videlicet crudis, flatulentis, nimis copioſe asſumtis cibis &c. iam anguſtum infimi ventris cauum infarcire non deſinat, augebitur inde absque dubio varicum moles. Iuscula tenuia ceteros cibos antecellunt, nec non carnes, quae facile digeri poſſunt. Potus ſit diluens atque refrigerans, aqua fontana pura, ptiſana ex hordeo, oryza e. ſ. p. Denique inprimis motus moderandus eſt, quamuis neutiquam plane intermittendus. Somno magis, quam antea, indulgeatur, inſtituaturque ſitus ita, vt crura non deorſum pendeant, ſed potius horizontis reſpondeant directioni. Omnis denique diligenter praecauendus eſt terror, animique triſtitia, quae ſanguinis viſciditatem aeque ac ſpiſſitudinem incredibili modo augent.

Haemorrhagia vteri.

Ex illis, quae grauidas haud raro in earum perniciem aggrediuntur, affectionibus haemorrhagia vteri periculoſiſſima eſt. Hoc enim ſanguinis plerumque arterioſi largo, impetuoſo, et omnes ſaepe eius ſiſtendi conatus eludente effluxu vt plurimum matris foetusque vita ſimul ineuitabili periclitatur fato, et etiamſi ſubinde mater

ter aegerrime mortis periculum euaſerit, tamen vix non ſemper foetus enecatur. At vero non omnis tempore geſtationis ex genitalibus deſtillans ſanguis pro haemorrhagia vterina habeatur, quippe haud rara mulierum extant exempla, quae per totum grauiditatis tempus menſtruo fluxui ſunt obnoxiae: vnde medici eſt, vtrumque ſanguinis ex vtero fluxum diligenter a ſe inuicem diſtinguere, ne a veritate aberrans peruerſam medendi ineat viam, ſeue mulierculis deridendum propinet. Quodſi enim feminae, quae multo diues ſanguine, per priores grauiditatis menſes catameniorum fluxui non obnoxia fuit, non venaeſectione inutiles iſtae diuitiae eripiuntur, nec ipſa abundantem humorum maſſam per alia colatoria euacuare, nec foetus largiſſimam hanc nutritionis materiam digerere poteſt, tunc ſtagnans in vaſis vterinis ſanguis, ex naturae ipſius beneficio, poſt aliquod tempus effunditur. Quo plus vero intereſt, haemorrhagiam vteri a fluxu menſtruorum rite et accurate dignoſcere, eo diligentiores eſſe debebimus in ſignis illis indagandis, quibus differentia vtriusque fluxus ſine errandi periculo finiri poſſit. Etſi vero illa pauca ſunt, tamen non omnino deſunt, a Bavdelocqvio potiſſimum, Hamiltono, aliisque artis obſtetriciae magiſtris accurate pertractata. Menſtruus ſcilicet fluxus, etiamſi ſubito prorumpat et largo flumine, vt plurimum tamen conſueto obuenit tempore, cui haemorrhagia non adſtringi ſe patitur. Neque vero ſpasmi doloresque adſunt in illo; cum in hacce dolores colici, niſus ad partum vagi, totiusque abdominis contractiones obſeruantur. Haemorrhagiam porro comitantur mammarum et ventris ſubſidentia, extremorum frigus, horripilationes, ſudores frigidi, pallidus denique totius corporis color: a menſtruo autem ſub grauiditate fluxu haec omnia abſunt. Sic vteri quoque orificium in haemorrhagia vera relaxatum et ad interiorem vsque aperturam apertum eſt, quod contra in menſtruis. Quinimo ipſius, qui erumpit, ſanguinis conditio rei ambiguitatem tollit; cum menſtruus lento flumine et guttatim effundatur, ideoque ſpiſſus et coagulis plenus eſt, maculisque tingit linteamina; in haemorrhagia e contra pleno riuo, per interualla tamen interrupto, vehementer

prorumpit ſanguis floridus, grumoſus, linteamina non commaculans, ſed tingens.

Expoſitis hiſce catameniorum fluxus et haemorrhagiae vterinae differentiis, nunc breuiſſimi in erudiendis haemorrhagiarum *cauſis* erimus. Quarum *proxima* quidem ſublata placentae cum vtero cohaeſio, vel interdum adeo disruptio funiculi vmbilicalis eſſe videtur. Ad quam quidem vehementem actionem *praedisponunt* potiſſimum vel vaſorum vteri nimia relaxatio, vel orgasmus, qui ſanguinem verſus haec loca maxima vi impellit. Sic immoderatum cum viro connubium, calidiora balnea, acrimonia venerea partus organa vellicans aeque huc alliciunt ſanguinem, ac vaſa relaxant. Placentae porro cum vtero debilis cohaeſio, eius ſedes in vteri orificio, funiculi vmbilicalis vel brevitas, vel circum foetus corpus ducti gyri, haemorrhagiae, quae in antecedentibus grauiditatibus iamiam male habuerant feminas, plethora, et, quae inter omnes ſaeviſſima eſt, carcinomaticum vlcus etiam inter cauſas haemorrhagiae vterinae iure meritoque referri debent. Sed ne ſemper quidem cauſae huius mali debent aut in ſanguinis abundantia aut in ipſius vteri, placentaeque conditione repoſitae eſſe, verum etiam ouariorum ſcirrhi, occultum cancrum indicantes, grauidas eodem vitio adficere ſolent. In notha, vel mixta conceptione, vbi polypus vel mola ſimul cum ouulo vtero continentur, prouenit ex continuo amborum corporum attritu, et inaequabili eorum incremento continuum ſanguinis ſtillicidium, cui malo nulla medica chirurgicaue ars vnquam, ſine foetus iactura, medebitur. Innumerabilium fere, quarum aduentu haemorrhagiae efficiuntur, h. e. *occaſionalium* cauſarum caterua in externas atque internas diuidi ſolet. Ex quorum quidem potentiſſimis habetur neruorum irritatio et vaſorum contractio nimia, ſubitanea; vnde quilibet vehemens animi adfectus huc referri poterit, omnisque orgasmus, cuius cauſa ſaepiſſime a potu ſpirituoſo, vehementi corporis motu, ſaltatione, lapſu, ictu, cachinno, ardentiſſimo denique coitu pendet. Hiſce praegreſſis vitiis non ſolum haemorrhagiae periculum imminet, verum etiam plerumque acceleratur. Quo maioris autem

momenti

momenti eſt cauſa praediſponens, eo debilior occaſionalis eſſe poteſt, vt haemorrhagia exoriatur, et contra. *) Multo magis vero inſidiatur praegnantium vitae in vltimis menſibus oboriens haemorrhagia, quam quae in principio grauiditatis accidit: hanc enim facilius ſuperant, vix aliud infortunium poſtea, quam ſpem ſobolis eluſam, triſti animo lugentes. Cohaeſionis placentae cum vtero vincula nimirum initio geſtationis nec tam ampla diductaue, nec tam firma ſunt, quam in octauo nonoue menſe. Vnde, cum ex dilatatis, laxisque vaſis multo vehementiorem haemorrhagiam conſequi debere, in propatulo eſt, haud difficili coniectura ſuperius expoſitae ſententiae veritas eluceſcere poterit.

Neque diffitendum eſt, medendi rationem aeque ac prognoſin admodum multis circumſeptam eſſe difficultatibus, non niſi exacta rationis trutina remouendis. At enimuero, ſi medicus obſtetricius femellae habitum, occaſionalem ſanguinolenti profluuii cauſam, eius copiam, colorem, reliquasque conditiones rite ponderauit, de via ac ratione dubius vix poterit eſſe, qua eiusmodi haemorrhagiae medeatur. Quippe, vt de diaeteticis erroribus incipiam, aeſtui frigore modico, animi conturbationi blanditiis, atque amicorum colloquio, reliquisque, quae animi adfectus leniunt penitusque ſopiunt, artibus obuiam ibit. Si ſpasmorum neruos irritantium comitem vel ſequelam haemorrhagiam eſſe cognouerit, nullum dubium eſt, quin conſopientibus opiatisque medicamentis in vſum vocatis, prorumpentem coerceat ſanguinem. Venaeſectio ſub certis tantum conditionibus proficua erit, ſi nimirum ſub initium grauiditatis vel paulo poſt acciderit haemorrhagia; minime autem in medio vltimoue ſtadio, quo placentae ſeparatio ſiue vmbilicalis funiculi diſruptio eam preſſo pede ſequitur, ideoque abortus cum enormi haemorrhagia iunctus venaeſectionem ſuperfluam atque noxiam fuiſſe indicat. In illo denique triſtiſſimo vtplurimum caſu, in quo placenta vteri oricifio interno inſidet, neque adſtringentibus,

*) Vid. ROEDERER Elementa artis obſtetriciae, §. 720.

bus, neque ſanguinis miſſione ſedabitur ſanguinis floridi impetuoſius eruentis flumen: verum vnica ſalus in partu, vel manu obſtetricia, vel, ſi vires adſunt et tempus pariendi non iuſto diutius remotum eſt, grauidae nixibus accelerando, e communi medicorum ſententia quaerenda eſt. Idem valet vbique, quando omni medela fruſtra ſuſcepta, nil ſupereſt, niſi vt infans via, qua fieri poteſt, breuiſſima illico educatur, vterusque a foetu, placenta et ſanguine grumoſo liberetur. Nam ſemper magis ad matris quam ad infantis vitam reſpiciendum eſſe ratio, quid? quod etiam leges iubent, cum in hocce rerum, quem deſcripſimus, ſtatu, de matre atque foetu iam decantatum ſit, nullaque electio, niſi vitae maternae, locum vltro habeat. Sin autem poſt extractum maturum immaturumue foetum ſeu polypi exciſionem, vel ex naturali laxitate, vterus ſanguinem continuo plorat, refractario malo adſtringentia, et quae vaſa contrahendi vi polleant, opponi debere, quilibet vel me non monente intelligit. Interius, acidulas medicinas, vel minerali vel vegetabili acido impraegnatas, et ſi reliqua ſinant, martialia ipſa dare; exterius vero refrigerio moderato vaſa vteri tortuoſa ad criſpaturam irritare, vel acidis, quam proxime licet, aggredi, omnino conuenit. Hic ſilentio praetereunda non eſt illa methodus, quam Celeberrimus Leroux *), Gallus, omnibus aliis anteponit. Etenim trombum filamentorum linteorum, aceto vel alii acido puro immerſorum, vaginae vteri applicare iubet, vt vagina, vterusque inde contrahantur, vaſaque ſimili contractione, quo minus ſanguinem vlterius plorent, impediantur. Hancce turundam, *tampon* appellatam, ſummis laudibus effert, inque egregio, quem infra laudaui, libro, plures refert feminas, illa optimo cum ſucceſſu vſas. Veruntamen et ipſius et aliorum experientia docuit, eam non raro absque ſperato effectu fuiſſe adhibitam. Quod quidem in iis potiſſimum femellis accidere debere arbitror, quarum vterus vaſaque tanta debilitate lan-

*) Vid. Ej. Obſeruations ſur les pertes de ſang des femmes en couchés. Dijon. 1776. 8. pag. 190. ſeq.

languent, vt omnis omnino recipiendi ſtimuli ſint incapaces. Neque lubet ſilentio plane praeterire Tincturam Cinnamomi, quae aduerſus haemorrhagias vteri pertinaciſſimas tanquam potentiſſimum et vere ſpecificum remedium repertum eſt a SWITENIO et PLENKIO, aliisque. Nolo iam inquirere in viam ac rationem, quo hoc calidum medicamentum, atque adeo ſanguinis circuitum augens, a quo et haemorrhagiam augeri ſupra monui, imminuat ſanguinis profluuium. Sufficit ſcire, vſu ac experientia ita comprobatam fuiſſe hanc medicinam, vt nunquam ab illius vi in hoc quidem malo deſtituti ſint viri laudati *). Ex domeſticis denique et facile parandis auxiliis vnum, idque non negligendum, acetum merum, limo temperatum, vel apud vulgum habetur, quod in multis pertinacioribus ſanguinis effluxionibus, repetitis vicibus frigidum applicatum, plus ſemel profuiſſe, a fide dignis hominibus audire memini.

Abortus.

Cum haemorrhagiam, omni curationi reſiſtentem, vtplurimum infantis expulſio ſequatur, nunc ſupereſt, vt de hac etiam pauca addamus. Abortus vero, ſi ad grauiditatis, quo accidunt, ſtadium reſpiciamus, magnopere inter ſe differre, nuncque maius nunc minus minari periculum, facile eſt ad intelligendum. Sed et abortus a praematuro partu diſtinguendus eſt, quorum ſcilicet ille intra priores ſeptem grauiditatis menſes, hic a ſeptimo vsque ad nonum accidere ſolet. Praematuri foetus vitam conſeruari poſſe experientia docet, contra embryonem, ante finem ſeptimi menſis vtero excluſum, vitalem non eſſe, quotidianae fere obſeruationes probant. Sed quamquam vis eadem ſit, quae et maturum et immaturum, et praematurum foetum expellit, fortis nempe vteri contractio, tamen duplicis generis cauſa hunc, vt vterus videlicet ante debitum tempus contrahatur, producere valet effectum. Quotiescunque enim matri-

*) Conf. MOHRENHEIMS *Wiener Beyträge, Th. I.*

tricis, vel vicinorum viſcerum indoles nimis irritabilis, vel ex morboſo fibrae habitu, vel ex alio quocunque morbo, quale exemplum ſupra in ſcirrho ouarii habuimus, diſtenſionis impatiens fuerit, abortum excludet ſemper mulier foecundo impraegnata coitu, etiamſi nullam extus acceſſiſſe abortus cauſam certi ſimus. Sic memini me legere feminae exemplum, quae ad certum grauiditatis diem vbi peruenerat, doloribus ad partum correpta abortum excludebat ſemper, licet validiſſima, iſtos dolores aut praecauendi aut compeſcendi remedia in vſum vocarentur. Medicus, qui ad impedimentum vlterioris diſtenſionis in vtero obuium inde concludebat, medicamenta aegrotae propinabat ad ſcirrhum vteri ſanandum propria, quibus id effecit, vt conceptus poſtea denuo foetus ad perfectam vsque perueniret maturitatem.

Externarum quoque occaſionalium cauſarum concurſus, morbiue alii ab iisdem producti, ſiue cum foetu communicentur, vt variolae, morbilli, peſtis etc. ſiue non, abortui producendo anſam saepiſſime ſuppeditant. Eſt enim natura adeo de humanae vitae conſeruatione prouida, vt rariſſime tantum mortuum atque iners quid humano corpori ineſſe ſinat. Namque vix ſenſuum neruorumque miniſterio de hoc commonefacta, febricula turbas excitat, omnesque fibrae id tremulo ſuo motu agunt, vt peregrinum, putredineque totam humorum maſſam infecturum corpus expellatur. Idem vero cum emortuo foetu vt plurimum fieri, res eſt extra omnem dubitationis aleam poſita. Si igitur foetus vel ex materiae nutritiae defectu vel ex alia quacunque cauſa viuere deſierit, breui poſt prouida natura de eius expulſione meditatur, ne matris vita, ſanitasue inde capiat detrimentum. In ipſo abortu, vel, vt magis proprie loquar, ouuli expulſione, obſeruari meretur duplex modus, quo ea fiat. Annunciatur ſcilicet abortus paulo ante colicis doloribus, in regione ſacrali lumbarique maxime moleſtis; hos haemorrhagia excipit, eo vehementior, quo maior numerus vaſorum a placenta vterina ſeceſſit, atque in vteri cauum hiat. Certiſſimum enim eſt, placentam tardius in abortu, ac in naturali partu ab vtero ſolui. Sub his conditionibus ingraueſcit ſenſim ſenſimque vteri ſpasmus

cum

cum ſanguinis effluxu, vsque dum tandem ſubito, plerumque cum maximo ſanguinis impetu, ſimul foetus exit. Hinc haemorrhagiae praeſentia prioris generis abortum, alterius autem eius defectus certiſſime finit ac indicat. Poſterior vero, vel ex animi ſumma affectione, vel illata vi, quo et ſaltus ex alto aut ſaltatio pertinet, oriundus, non quidem omni vacat dolore, ſed lenioribus tantum grauidae nixibus, et ſimilibus, quae ad aluum deponendam requiruntur, foetus excutitur; ſiquidem in prioribus tribus grauiditatis menſibus potiſſimum abortus obſeruatur, in quibus paruulus adhuc foetus non ampla admodum via indiget: vnde non ſemel contigiſſe ſcio, quod tales femellae foetum in matulam depoſuerint. Prioris ſpeciei medendi rationem paragrapho praecedenti iam expoſuiſſe videmus: nam ceſſante haemorrhagia vt plurimum quoque abortus periculum tollitur. Quando vero abortum nullum ſanguinis profluuium praecedit, eum praecaueri poſſe vix probabile eſt. Quamobrem, cum ex vehementiori, nec opina tamen cauſa, vno impetu oboriatur, ſemelque ab vtero ſoluta placentae vaſa ei denuo applicari non poſſint, nil, niſi quietem commendare, terroremque temperantibus, ex ſalinarum genere depromptis medicinis, coercere poterimus, reliqua medicatrici naturae relinquentes. Vnicum, quod haud raro in eiusmodi abortu leuamen adfert, in eo poni exiſtimo, vt vel obſtetrix vel medicus accerſitus in vagina remorantem embryonem extrahat, cuius quippe preſſione ſaepius magnopere mulierculae vexantur. Quodſi vero de prognoſi quaeſtio moueatur medico, non poterit non haemorrhagia omnem fere modum excedente, matrisque, inprimis tenerioris et in hecticam pronae imbecillo habitu, mortem triſti amicorum cohorti pronunciare. Quae enim poſt grauia eiusmodi pericula hemitritaeae typum mentitur febricula, paulo poſt aegrotam in tabem phthiſinque coniicit. Extemplo autem feminam morituram eſſe, indicant extremorum frigus, pulſus vix digito percipiendus, oculorum caligo, aurium ſuſurrus, praecordiorum anxietates, motus conuulſiui, animi deliquia, tandem ſudor, per vniuerſum corpus frigidus prorumpens. *)

Li-

*) Signa haec ab HIPPOCRATE iam pro lethalibus habita fuiſſe, videre licet ex eius Aphor. V. 56.

Liceat adhuc pauciſſima de protervia addere, qua puellae defloratae, liberiori vitae indulgentes, aut adeo nonnunquam feminae, proli inimicae, abortum promouere ſtudent. Hae ſi noſſent, vel certe accurate perpenderent, vim iſtam ac violentiam, qua hunc in finem vtuntur, ſaepius inutilem atque ſuperuacaneam eſſe! Si enim cauſae ad abortum praediſponentes non adſunt, hic nunquam excitari poterit; contra ea vero puellae ſeu mulierculae maximis ſeſe peſſimis iſtis artibus exponunt periculis. Etenim ſanitati ſemper exitiales ſunt atque perniciosſae. Quin ipſe abortus, violenter excitatus, cum maiore periculo coniunctus eſt, quam qui ſua ſponte euenit.

Epilogus.

Atque haec ſunt, quae ex vberrimo pertractatae rei campo pro temporis ratione, anguſtisque, quibus libelli academici plerumque circumſcribuntur, finibus carpere licuit. Ea vero, quae de partus puerperiiue adfectionibus quibusdam earumque adminiculis addere animus erat, in aliud tempus magis opportunum ſeruare coactus, nunc aegre relinquo. Quaenam protulerim, beneuole Lector, animo aequo placidoque accipias quaeſo. Quae enim mihi obiici iure poterant, omnia nimis ſuſpenſo pede tractata eſſe, quamuis quodque tractationis meae caput ſatis amplam diſputationis materiem doctiori praebere potuerit: ea et ipſe bene ſentio, et publice confiteor, ſpe delinitus dulciſſima, fore, vt aequus lector perituſque rerum pertractatarum arbiter non tale ingenii et iudicii robur a iuuene atque tyrone ſit expectaturus, quale a viris, elaborata elegantique ſcientia eruditis, iure requiritur meritoque.

Err. Pag. 9. lin. 24. pr. *primaria cauſa ſit*, l. primariam ſaepe cauſam eſſe.